



30
~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



Συὸ Θεῶ
 DISPUTATIONUM
 ETHICARUM
 VI.
 De
FOR TITUDINE,
 ET
TEMPERANTIA.
*In Inclytà VVittebergensi Academia
 proposita.*
 PRÆSIDE
M. NICOLAO HUNNIO
 Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,
 RESPONDENTE
BENEDICTO AGRICOLA
 Noribergensi.

VVITTEBERGÆ
 Ex Officina Johan. Gormanī, Anno 1611.



igit simul
 e cum hac
 bavir, eli
 em addit,
 atione de-
 pera. Estq;
 potu absti-
 temperan-
 us castos;
 s verò ca-
 bi potest,
 oxius fieri
 on est, ut
 r efficere,
 lenz vo-
 on virtuti





REVERENDO, CLARISS. ET
Excellentiss. Humaniss, atq, Doctiss.

U I R I S

Dn. M. FRIDERICO TAUB-
MANO Poëtæ celeberrimo in almâ Acade-
mia VVittebergensi Professori publico.

Dn. M. GEORGIO KOLBIO Ecclesiæ
Lichtnaviensis Pastori vigilantissimo.

Dn. LUCAE SCHRÖCCIO. LL. Can-
didato.

Dn. HIERONYMO HELDIO aliàs Ha-
gelshaimer LL. Stud.

*Dnn. Patronis, Fautoribus, Amicis, & Po-
pularibus suis omni observantia cul-
tu colendis.*

Hoc exercitium Ethicum
grati animi & amoris signum

Dedicat:

BENEDICTUS AGRICOLA
RESPONDENS.



Σὺν Θεῷ.

De

FORTITUDINE.

I.

Fortitudo (ἀνδρεία) est virtus, quæ circa timores, fiducias q̄ cum mediocritate versatur.

I.



D Species virtutum descendentes primò de fortitudine agere aggredimur, nō corporis robur, sed animi Fortitudinem intelligentes, discernentes eam à virtute heroicâ, quam singulares non-humanos, omnem naturam superantes divinosq; motus arbitramur, qui nec hominum industriâ acquiri, nec ab a-

ctuū heroicorum ut fortitudo à fortium, repetitione dependet.
II. Græci hanc virtutem ἀνδρείαν ἀπὸ ἀνδρός quasi virilitatem dixerunt: eò quod in sexum virilem præ muliebri cadat. Unde in ipso statim limite hæc nobis expendendam se offert quæstio; *etiamne mulieres fortes evadere possint?* Respondemus hoc tritum à potiori sit denominatio: cum igitur virorum præcipuè sit hæc virtus, indeq; appellationis originem ducat, fœmineo tamen sexui prorsus deneganda non videtur. Nam & Iudith, ut ex historia ipsius constat, fortitudinis specimen haud contemnendum edidit; & suo id ipsum exemplo demonstrarunt Clælia, Porcia Bruti uxor, itemq; uxor Aldrubalis, quarum fortitudinem prædicat *Valer. Max. lib. 3. cap. 2.* quibus accedunt & Amazones, si vera de ijs narrat *Q. Curtius lib. 6.*

III. Definitionem quod attinet, reddidit Aristoteles 3. *Eth. 9.*

A 2

talent



ταλέμ : ἀνδρεία ἐστὶ μεσότης περὶ φόβου καὶ θάρρους. Genus in superioribus consideratum ventilare pluribus, supervacaneum ducimus. Objectum differentiae vices obtinens duplex est. 1. φόβος. 2. θάρρος. In generali virtutum consideratione duo objectorum genera sese offerre notavimus quorum 1. actui primo. 2. actui secundo objiciatur. Prius τὰ πάθη, in quibus regendis, & moderandis occupetur, posterius res externas, in quibus actiones, ipsiq; affectus exerceantur. Utrumq; innuit definitio, demonstrans affectus, in quibus regendis occupetur virtus, metum, & fiduciam, in quorum utroq; delabi possumus ad extrema, id ne fiat, suo moderamine cavet virtus.

IV. Deinde externa fortitudinis objecta notantur φοβερά, καὶ θάρραλέα. Non φαινομένως φοβερά, quae duum generum: 1. Alia terrent, cum non sint terribilia, quibus affligi solet saucia conscientia *Lev. 26. v. 36. Prov. 28. v. 1.* 2. Alia cum terribilia sint, attamen non terrent: tale est, cum hostium quis armis objicitur, qui unguentis, ac medicamentis sic omnia membra, totumq; corpus consolidavit, ut vulnerari prorsus nequeat; Taliter qui agunt, nil minus sunt, quam fortes: timiditate enim periculis se subducunt, quod fortis nunquam fecerit. Neque φοβερά ὑπὲρ ἀνθρώπων, ὅσα πάντι φοβερά ἀνθρώπων ἔχουσι. 3. *Nicom. 10.* utpote, quae animum cujuscunq; etiam fortissimi frangunt, Nam, talia moderatè quidem rimentur, fortitudo tamen in ijs occupata non est; quòd 1. nulla externa in illis sese exercent operatio. 2. nec nostrum sit in ea nos conjicere incommoda, vel secus; quod tamen utrunq; fortitudinis natura postulat. Numerat horum *Aristoteles* quatuor, terrae motum, & exundationes. 3. *Ethic. 10.* tonitrus & fulmina. 1. *Mag. Mor. 21.* quibus portenta, Dei iram, calamitatesq; publicas nuntiantia accenseri possunt: ea qui non metuit, hunc *Philosophus l. d.* non ἀνδρείον sed μαινόμενον pronuntiavit.

V. Praeterea; excluduntur hinc φοβερά, ὅσα ἀπὸ κακίας, quae vel in se mala, vel malorum comites, vel eorundem fructus: talia sunt omnia vitia, ἀδοξία, supplicia, carceres &c. 3. *Ethic 9.* Restat proinde; proprium ἀνδρείας objectum esse omnia periculosa (haec enim metuuntur) ea tamen non omnia, sed quae κατ' ἀνθρώπων, ἡ. ε. αἱ οἱ λοιποὶ φοβῶνται. 1. *Mag. Mor. 21.* Atq; horum sui
rursus

rursus sunt gradus, ita, ut quaedam magis, alia minus fortitudi-
dinem concernant. Præcipuum verò ἀνδρίας objectum sese
præbent φοβερά μέγιστα, inq; his potissimum τὰ πολεμικά, quæ
& ipsa gradibus variant; supremum tenente morte bellica, quæ
φοβερότατη. Mors enim, licet alia in mari, alia ex morbo, alia
ex bello; & in prioribus duobus generibus fortis occupetur qui-
dem, quatenus & ibi ἀδεής; &, ut cæteri τὸν θάνατον ἔδισχαιρένει
3. Nic. 9. πρώτως tamen de morte bellica tenetur sollicitus.

VI. Porro: mortem fortis adit & fugit. Fugit, qua-
tenus non appetit: nemo enim nisi furiosus, ideò invadit ho-
stem, ut ab eo trucidetur; ὁ γὰρ θάνατος καὶ θράυματα λυπη-
ρὰ τῷ ἀνδρίῳ. 3. Ethic. 12. Inde fortitudini minimè repugnat, mu-
tis adversus hostem sese tueri, ferreisq; indumentis vestitum,
hosti obviam procedere. E contra, fortis non erit, qui unus in
totum hostium agmen irruit; sed vel heroico, & divino instin-
ctu agitur quali Simson *Judic. 13. v. 15.* & Jonathas filius Sau-
lis *1. Sam. 14. v. 13.* vel temerarius est, cùm aliud sibi præter cer-
tissimam mortem cum nullo, vel exiguo, admodum hostium
incommodo conjunctam nihil omninò polliceri possit; quod
Johanni Matthæo, Monasteriensi Anabaptistæ contigisse, *Slei-
danus lib. 10.* commemorat. Adit, quatenus ex malis eligit, quod
minus est, & mavult honestè mori, quàm turpiter vivere, & cum
reip. commodo interire, quàm cum privato suo emolumento
patriæ interitum admittere.

VII. θάρραλέα dicimus, quæ hominem reddere possunt confi-
dentem, cujusmodi sunt divitiæ, munitiones, arces, arma, militū
copiæ &c. quæ à fortitudine ad audaciam abducere valent ho-
mines; uti contigit Goliatho. *1. Sam. 17.* Rabfaci, satrapæ Assyri-
aco *2. Reg. 18. v. 29. seq.* Xerxi, navali prælio cum Themistocle
decernenti *Herod. 1. 9.* Sic armatus cum inermi, Athleta cum cer-
tandi imperito fortiter non congreditur, 3. Ethic. 11. vel qui à præ-
sidijs non longè absunt, sese vel sociorū auxilio, vel arcibus mu-
nitis hostem victuros, vel tutos fore confidunt. Horum mode-
ramen suscipit ἀνδρία, attendens, ne φοβερά nimium nos depri-
mant, aut θάρραλέα nimium extollant: Quamvis in formidabi-
libus magis reddatur fortitudo cōspicua, quàm fiducialibus, ὅτι
χαλεπότερον τὰ λυπηρὰ ὑπομένειν, ἢ τῶν ἢ δέων ἀπέχεσθαι. 3. Eth. 12.

VIII. Fortitudo medium in hisce actionibus tenet: definit autem mediocritatem honestas: est enim actio mediocris, quæ honesta: hæc autem ἡ τῆς καλῆς ἕνεκα definitur. 3. *Ethic. 10.* quia τέλος ἀρετῆς τὸ καλόν. 1. *Mag. Mor. cap. 20.* in qua honestas & finis, & adjuncti rationem habet. Finis, oportet ideò suscipi actionem, quia honestum est, vim iniquè illatam modo, medijsq; legitimis propulsare, quoniam honestum, pericula subire pro salute Reip, quia honestum, mori pro patria. At: honestum non est, temerè in pericula se conjicere; quia honestum Reip. semper expedit; hoc non item. Patet hinc, quidnam censendum de ijs, qui violentas sibi met inferunt manus: videlicet; fortes nullo modo dicendos: & quidem ideò, quoniam facinus istud in alterutro ἀνδρίας extremo radicatur, causam agnoscens vel audaciam, vel timiditatem. Audacem dicit *Arist. 3. Ethic. 10.* ὁ τῶ θάρρειν ὑπερβάλλων: semet ergò ex audacia lædit, cum ex mera protervia, saltem, ut pericula, cæteraq; mala asperrari, & contemnere videatur, vim sibi quis facit, quo in numero censendi, qui in salutem regum Turcicorum è sublimi præcipitati; & proprijs percussis gladijs animam exhalant, historijs testantibus.

IX. Deinde: timiditas; cum mortem subimus, non quòd honesta, neque, quòd bona, sed quia ad aliud relata, malum mitius apparet. Iudas, proditor Salvatoris fortitudinis defectu sese suspendit, magis eligens rebus humanis eximi, quàm exquisitis conscientia moribus consumi. Fures, alijq; malefici in carcere nonnunquam se enecant, non, quod bonum hoc videatur, sed quòd fatum atrocius subeundum censeatur; publica videlicet è patibulo suspensio, cujus collatione bonum est, proprijs manibus in carcere mori. Minimè ergò omnium probanda est ἀυτχειρία, quod vitam nobis ipsis non dederimus, sed Dei quædam simus mancipia, idcirco eandem eripere, & in rem alienam, Domino invito, acerbius quid statuere non possumus. Præterea; cum quis primò non sibi nascatur, sed Reipubl. utiq; detrahit ipsi quod ipsius erat, dum eam cive præter jus, fasq; spoliat. In seipsum deniq; est injurius, dum semet seipso privat, & sese sibi eripit, contra justitiæ legem, quæ suam cuiq; vult tribui.

X. Porro:

X. P
& hæc
fortitu
qui vir
nec, qu
merano
sed ign
XI. I
perrati
tunt, fo
nestare
n: quim
Ibid. qu
quam s
Similis
officia
tur hor
nis ratio
mei cau
ac per se
quillita
num si p
poteris.
lem τῆ
ὕπομην
ρων, ἀν
XII.
ἔρε
porell
τῶ θάρρ
fidenti
nestate
sola un
non. I
contem
horrele

X. Porro: actiones inhonestas, rapinam, furtum, adulterium, & hæc insegura pericula intrepidè, & animo præsentè perpeti fortitudinis non est; quia nec honestatis: ideò nec fortis est, qui virgis cædendus animum haud despondet. 3. *Ethic. 9.* Ergò nec, qui intrepidus est in periculis sibi ignotis, inter fortes numerandus; quoniam actionem istam non honestas definivit, sed ignorantia.

XI. Ergò nec conductitij milites, qui stipendij amore, paupertatis fugâ, prædæ cupiditate moti periculo sese committunt, fortes dicendi, utpote quorum actiones utilitate non honestate terminantur: idcirco μάχιμοι μὲν, ἢ ἀνδρείοι δὲ 3. *Eth. 11.* quin potius, timidi sunt: *μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ δειπνοῦσα Ibid.* quod faciunt omnes utilitatem unice respicientes, nunquam suscepturi laborem, nisi mercede, recompensatus fuerit. Similis fermè eorum est ratio, qui bello famam, dignitates, officia honesta quærunt. Etsi enim hi quoq; fines judicentur honesti, attamen, externi, secundarij, accidentarij, finis rationem tener, quicquid privatum est. Non enim tui, vel mei causâ bellum suscipitur, sed Reipub. Ergò finis primarius, ac per se huic respondebit intentioni, salus videlicet, ac tranquillitas Reipublicæ; cui postmodum alium annectere externum si placuerit, licebit, & nihilominus furtis nomen retinere poteris. Quæ omnia in summam redegisse videtur *Aristoteles* talem τῶ ἀνδρείῳ descriptionem ponens: ὁ μὲν αἰδέει καὶ ἐνεκα, ὑπομένων καὶ φοβόμενος, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε, ὁμοίως δὲ καὶ γάρρων, ἀνδρείῳ 3. *Nicom. 10.*

XII. Sic descriptæ fortitudinis duo se offerunt extrema Φόβος καὶ γάρρος, quorum natura ex superius dictis nonnihil potest esse conspicua; hîc ergo paucis: Audacem definiri τὸν τῶ γάρρειν ὑπερβάλλοντα, supra vidimus. Excedit autem confidentia, quæ mediocritatem, excedit: mediocritatem quæ honestatem, honestatem quæ commodum, & salutem Reip. quæ sola universæ fortitudinis norma, & exactus videtur esse canon. Hoc laborat vitio quicumque 1. τὰ ὑπὲρ ἀνθρώπου φοβέσθαι contemnit, nihiliq; facit, nec ad terræ motus, fulmina &c. perhorrescit. 2. In præsentissima mortis pericula sese conjicit, & quæ

quæ sunt cætera, Superius relata. Φόβος, seu timiditas quid sit, Arist. 3. Nic. 10. exponit, δειλὸν describens, ὁ τῷ φοβῆσθαι ὑπερέβαλλον. Timendo excedit, quicunq; ea, quæ honestè metuere nequit, metuit: h. e. qui 1. nimium privata sua bona diligit, ut magis utilia spectet, quàm honesta, & hæc præ amore istorum negligat, 2. Cùm majus, idq; honestum subterfugit malum, seu periculum, in mitius (ut apparet) sese præcipitans cum turpitudine conjunctum; qualis fuit Sardinapalus, qui seipsum igni tradere, quàm cum hostibus dimicare maluit. Quo numerantur etiam, qui desperabundi vitam decurtant, ne vel patriæ interitum, vel hostium incursiones videre cogantur. Eadem quoque ratio est eorum, qui sese in fuga ex petris præcipitant, vel aquis submergunt, ne hostium vi succumbant. Atque hos congruo termino *ἄρρηκτος* nuncupat, eo, quòd audacia sese præbeat timiditati mixta.

II.

Fortitudo hominem Christianum non dedecet.

I. Fortitudo alia togata est, alia bellica. De illa quidem certaminis quid esse, haud arbitror. Hanc verò in dubium vocare: quid verò? in totum condemnare non erubescunt Anabaptistæ; Christianis vim, utut iniquam repellere prorsus illicitum contendentes. Verùm, omnium virtutum si prima consideremus fundamenta, ad discrimen honestorum, & turpium naturâ nobis insitum, ex Dei imagine hætenus residuum tandem deveniemus. Ut enim lex divina omnium mortalium cordibus inscripta bona est, tabulis Mosaicis congrua, ita, quodcunq; hinc per se efflorescit, malum esse nequit. Quis autem injustæ violentiæ amolitionem in imaginis Dei reliquijs fundamentam negaret? cùm & gentiles saniores homicidia vitarint, bella secuti fuerint, Deo hoc ipsorum institutum nuspiam improbante. Quin potius, nî bellis, bellicæq; virtuti suus concessus fuerit locus, nunquam salvum esset futurum naturale hoc actionum principium; unumquodq; fugit destructionem: imò, sec saluum quintum Decalogi præceptum, non occides. Quod enim quæso, atrocius delictum, quàm semet occidere? at, quid

quid facit aliud, qui, cum honestè posset, vim tamen iniquam non effugit? nonne alieno sese jugulat gladio? Porro: quomodo potuisset Deus non reprehendere sanctos viros, qui bella gesserunt, Abrahamum, Davidem, Josuam, Gedeonem, &c? quomodo item mandare bella, leges sanicre militares, aciem instruere, duces præficere potuisset? quæ tamen omnia ipsum factitasse, res loquitur.

II. Atqui; causantur isti: hæc omnia in Testamento Veteri, alia multò est ratio Novi; quòd ullo modo reluctari malo simpliciter vetat. *Matth. 5. v. 39.* Sed nunquam hæc mens fuit Salvatoris, qui centuriorem officio suo renunciare non jussit *Matth. 8.* nec Johannis Baptistæ, qui milites deserere militiam non voluit *Luc. 3. v. 14.* nec Petri; dum Cornelij Centurionis statum non improbavit. *Act. 10.* Quid? Quòd Deus ipse magistratui sub Novo etiam Testa. gladiù tradidit *Rom. 13. v. 4. seq.* in bonum ijs, qui bona agunt; ut evidenter hinc consequatur, Christum apud Matthæum non nisi privatas prohibuisse vindictas, legitimos interim defensionis modos, per arma etiam, non prohibuisse, & ἐπομένως, nec fortitudinem bellicam Christianis denegasse. Id quod ex abundanti confirmare poterit vaticinium Propheticum, quo blasphemum cornu, Furcicum designans imperium, sanctis bella facturum prædixit *Daniel cap. 7. v. 21.* quod sanè fieri nequisset nisi sanctos jam occiso Christo, id est, temporibus Novi Testamenti belligeratos prævidisset Propheta.

III. Æquum est interea, ut certus adhibeatur modus; qui duplici hoc requisito circumscribi, ac definiri potest. I. Bellica privati hominis fortitudo publicâ magistratus autoritate nirat. Res est in aprico. Non te armavit Deo gladio, ut pro tua voluntate ac beneplacito pugnes (hoc est enim gladium cum præsentissimo sui ipsius exitio sumere, *Matth. 26. v. 52.*) sed magistratui, cujus tu quidem organum esse poteris, quod non sua vi moveatur, sed tum demùm agat, quando regi ac moveri ab agente principali cœperit. Hinc tam sacra, quàm prophana seditionem judicant, non bellum, quoties privatus autoritate propria vim sive magistratui, sive concivibus, sive etiam exteris vim manifestam inferre tentat. Est ergò fortis viri, non excitante superiore, quiescere; at hoc movente arma capere.

B

2, Bellum

id sit,
Cal-
re ne-
ut ma-
m ne-
seu pe-
pirudi.
ni tra-
rancut
interi-
quoque
el aquis
ongruo
ræbeat

debet.

m cer-
voca-
naba-
illici-
confi-
urpium
um ran-
um cor-
, quod-
item in-
s funda-
int, bel-
n impro-
oncessus
noc acti-
n: imò,
es. Quod
dere? ar,
quid

II. Bellum aut defendat solùm, aut, si inferatur alteri, causam habeat justam, ac necessariam. Utrumq; epitheton postulat tùm virtutis, quæ honestate, adeoq; justitia definitur; tùm reipublicæ conditio, cui semper funesta, aut ad minimum, molesta bella, ut ut maximè justa: idcirco: nisi necessitas imperarit bella, non facile vir fortis ea secutus fuerit: cuius manifesta est ratio. licet namq; hic; vel ille honestatem respiciat, & intendat, id tamen non sufficit, quoniam primarius belli finis honestatem non exactè tangit; & salutem Reipublicæ officere potius quàm prodesse videtur.

De

TEMPERANTIA.

III.

Temperantia (σωφροσύνη) est virtus, quæ circa voluptates & dolores cum mediocritate versatur.

I. Et si temperantes voce generali dicantur ij omnes, qui affectui cuicunq; imperare didicerunt, & terminus hic generalis esse cœperit: nos tamen specialius ipso utentes temperantem non dicimus nisi, qui voluptates corporis, cum primis, quæ gustum & tactum afficiunt, regere, illarumq; exuperantiam sedare, atque compescere valet; quemadmodum & Aristoteles temperantiam definire voluit: *σωφροσύνη μεσότης ἐστὶ τῶν ἡδονῶν, καὶ λυπῶν.* 3. Nicom. 13.

II. Per voluptatem hic non intelligimus ex virtutis actione resultantem animi voluptatem; hæc enim sua naturâ honesta nunquam ad inhonesta deflectit, ut virtutis moderamine opus non sit. Sed neq; naturæ voluptatem, qua de vigore, perfectione, ac integritate sua lætatur, exultat quasi, & sibi gratulatur natura, ut quivis mente ac corpore sanus ipse secum sentit. Neq; illam, qua *ἐκάτερον τῶν χαίρει ὧν Φιλητικός ἐστίν*, ut Aristoteles 3. Ethic. 13. loquitur, Sed animalem voluptatem, hoc est, in corpore sitam, *ἢς καὶ τὰ λοιπὰ ζῶα κοινωνεῖ.* 3. Ethic. 13.

eam

eam verò non specialem, quam hic præ illo peculiarem sibi fingit, ac propriam; sed quæ omnibus communis, in tribus potissimum, duos istos sensus, gustum, & tactum afficientibus cibo, potu, venere consistit, quæ quomodo temperantia in genere omnia ac specie singula regat dispiciendum.

III. Generalem circa voluptates, & dolores verlandi modum tria Aristoteles requisita 3. *Nicomach.* 13. 14. definiunt; secundum quæ delectatur voluptate & dolore afficitur temperans οἷς δει. 2. μετρίως, 3. ὡς δει. Adversus primum delinquit, circa cibum quidem ac potum, quicumq; appetit, aut delectatur. 1. à quibus aliàs abhorret hominis natura, utpote sunt ἀνθρώπινοι φάγοι, aut carnis equinæ, caninæ &c. appetitula lecti. 2. quæ lege sunt vetita. uti apud Judæos caro erat suilla, & leporina. *Lev.* 11. 3. quæ vim naturæ inferunt; qualis est, si quis potu aut esu veneni, ac venenatorum delectaretur. Interim hîc non videntur numerandi inordinati appetitus gravidarum, hoc namq; peccatum Ethicum non est, cui virtus non medetur, sed Physicum. Excipiendus etiam inevitabilis necessitatis casus, cum famæ sedandæ aliud ferri nequit remedium, utpote, quando filius perditus siliquas cum porcis *Luc.* 16. v. 16. in obsidione Jerosolymitana scæminæ fœtus, liberosq; suos, David panes propositionis, 1. *Sam.* 21. v. 6. comederunt. Necessitatis namq; nulla lex: ideò nec virtutis est, hunc ad modum sibi temperare, nec vitij, non temperare. Circa Venerem verò dupliciter adversus hoc primum requisitum delinquitur. 1. dum aliqui cum brutis commisceri non exhorrescunt. 2. quando masculi in masculos illicita venere exardescunt contra naturæ, ac honestatis leges. *Rom.* 1. v. 27. quibus abominationibus Sodomitas fuisse deditos. *Gen.* 19. v. 5. & Gabaonitas *Jud.* 19. v. 22. legimus.

IV. Contra secundum delinquit in defectu 1. avari, qui, modò thesauros colligant, esuriunt, sitiuntve. 2. qui à Venere plus æquo abstinent. In excessu 1. ebriosi. 2. libidinosi: de quorum utroque in specialibus. Tertium ὁριστιότες describit loci, ac temporis. Ratione loci peccat 1. qui per plateas ambulans comedit in publico. 2. qui in loco certis officij negotijs expediendis dicato cibum capit. verbi causa, si Professor

in cathedra, concionator in suggestu, iudex pro tribunali sedens cibo, potuq; sese reficeret. Idem censendum de Venere. Ratione temporis peccat qui tempore alijs negotijs dicto, vel cum alijs non expedit, ventris, Venerisq; voluptatib. indulgere satagit: quales inveneris, quibus media nocte a somno excitatis comestationibus indulgere, aut jejunis bibere volupe est. Tempora laboribus, aut sacris peragendis dicata voluptatibus insumere, sub concionibus potare, toties a labore ad cibum se conferre, quoties vel cibi mentio facta, vel recordatio mentem subjerit intemperantiæ est, & ἀκολασίας.

V. *Cibus, ac potus* victui sunt necessarij, his ergò uti, minimè vitiosum. Moderatè, quomodo, ac quando uti possimus, hæc declarant. 1. In cibo, & potu proportio est observanda geometrica. Homines multum in eo variant, quod aliqui sunt corpulenti, & staturæ grandioris: alij graciles, exiguiq; corpusculi. Illis pro victu multum opus est alimentorum, his parum sufficit; ut, cum gracilis tantum absument, quantum corpulento vix dum sufficit; jam tùm modum excessit; corpulentus vicissim tantum absument, quantum alij vel sufficit, vel abundat; in defectu peccare potest, dum hoc, quod alteri naturæ sufficiebat, sibi prorsus est insufficiens. 2. In cibo, potuq; non saltem necessitati consulendum, sed & læticiæ. Triplex enim poculum sunt, qui numerent. 1. necessitatis. 2. hilaritatis. 3. Ebrietatis. *Necessitas* duo postulat, ut videlicet sumatur, quantum 1. ad sustentationem naturæ necessarium, 2. ad liberalem sustentationem, quæ naturam non saltem in esse, sed etiam in benè esse conservet, necessarium. Prius illud insufficiens est: nullus enim sic avarus, ut naturam omnimodè corruere sinat; alterum ergò postulatur, modum definiens, quo naturæ subveniri oporteat, ut illa in florido, vividoq; εἶναι permanere possit: appetit enim temperans ὅσα πρὸς ὑγίειαν ἐστὶν ἢ πρὸς εὐεξίαν. 3. *Nic. 14.* Idcirco quoties valetudini consulendum cibo, vel potu, temperantem parcere non decet; nam & hoc necessitatis, 1. *Tim. 5. v. 23. Col. 2. v. 23.*

VI. *Hilaritatis* itidem conceditur. Hæc vini proprietas, exhilarare cor, quod minus fit, cum necessitati saltem consulitur; magis

magis
Atque
verfat
in lætici
nim p
honest
nior es
rectius
geti, v
languis
VII.
vivia sin
Virtuo
nestam
exercit
conferu
quam v
conting
te conti
nandum
gaudio
batum.
Matth. 9
quentar
sancti;
qua Chr
VIII.
contin
habeat
mit; ut
hilarior
nis abu
tiam ca
2. Hilar
crebro

magis autem cum ultra necessitatis demensum quid bibitur.
Atque hoc nec divinæ voluntati, nec politicæ honestati ad-
versatur. Non divinæ voluntati, cuius tale iudicium: *comede
in læticia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: hæc est enim
pars in vita, & laboro tuo, quo laboras sub sole. Eccles. 9. v. 7.* Non
honestati: expedit enim cuivis, lætari vitæ causâ, quæ diutur-
nior est lætanti, quàm tristanti: tum etiam propter actiones
rectius expediundas: qui namq; gaudet, huic spiritus sunt ve-
geti, vires integræ, animus actionibus promptus, in mæsto
languida cuncta, & actionibus inepta. *ἡ μὲν γὰρ λύπη ἐξίσησι,
καὶ φθείρει τὴν τῆς ἔχοντος φύσιν. 3. Nicom. 15.*

VII. Deciditur hinc, quæ moveri potest quæstio: *Vtrum con-
vivium sint homini virtuoso, Christiano cum primis, licita, atq; concessa?*
Virtuosum quidem non dedecent: Etenim, ad animorum ho-
nestam devinctionem, amicitia confirmationem, liberalitatis
exercitium non parum, experientia teste, honesta convivium
conferunt. Ita tamen, ut *ἀσωλία*, omnisq; luxus exulet. Et
quamvis diversum aliquando eveniat, id verò nulli non bono
contingere novimus, quod tamen propter ea, quæ ex acciden-
te contingunt, non in totum vel abjiciendum est, vel asper-
nandum. Christiano verò homini quid nî liceat honesto frui
gaudio? nusquam hoc interdictum, & vix usquam non compro-
batum. Certè, Salvator noster convivium interesse fuit solitus
Matth. 9. v. 10. cap. 26. v. 7. Luc. 14. v. 1. Ioh. 2. v. 2. cap. 12. v. 2. fre-
quentarunt eadem Patriarchæ alijq; Veteris Testamenti viri
sancti; nec unquam ab ijs abstinuisse, aut illa prohibuisse anti-
qua Christi Ecclesia legitur.

VIII. Sui tamen huic poculo sunt limites; quantitatem &
continuam, & discretam restringentes. Continuum hic: Ratio
habeatur facultatum. Malè lætatur is qui una vice sua consu-
mit, ut postmodum fames ferenda, atque is in excessu peccans
hilarior se exhibet, quam par est. Deficit verò, qui, cum bo-
nis abundet, non tamen vel in suis, vel amicorum gra-
tiam tantum impendere audet, ut cibo sese, ac potu exhilaret.
2. Hilaritatis poculum ne sit nimium frequens. Quotidiana quæ sunt,
crebro usu vilescere incipiunt: idcirco, quò quid frequentius,

B 3 tantò

tantò ad concitandam hilaritatem ineptius: novis quippe gaudere solet natura. Una hæc limitationis adductæ ratio. Cui accedit, quòd istiusmodi oblectatio condimentum saltem laborum, & recreatio esse debet, cui dum omne dicamus tempus eoque labores, quos consolari debebat, in universum amolimus, ad alium finem, & scopum deflectimus, ut jam in aliam omnino actionem virtuti non usquequaq; congruam transeat.

VIII. Quibus tandem tertius apponi limes poterit: *ne bibatur tempore incongruo*. Cùm tristitia incidunt & luctuosa tempora, qualia ingruens pestis, bella, magnorum virorum, principum &c. obitus: & quoties omnino vel tuum est, ad veritates, mortem &c. tuorum proximè agnatorum lugere, aut tota Respublica publicas deplorat calamitates; tunc enim incivile foret (ne gravius quid dicam) lætitiæ certos dicere dies; dedecet namq; toto corpore mæsto unum aliquod membrum exultare, quod committitur casu dicto. Vetat etiam hoc poculum jejuniij tempus, quod vel negotia magis seria vel devotiores preces indicunt; his enim omnibus rectius defungeris, cùm necessitati consultum; quam, copiosiore cibo distentus venter, tùm sui ipsius mole pressus, tùm nebulis, quas cerebro, actionum principio tùm deniq; quòd omnibus membris offundit, eaq; agendi promptitudine quodammodo spoliat, non parum impedit.

IX. *Ebrietatis* denique *poculum* quod attinet, multis id modis damnat sacra pagina. Nos instituti cancellos non excedentes politicè illam considerabimus. Ante omnia distinguamus inter ebrietatem, & ebriositatem: Illam dicimus unicum istum actum, quo quis vino, aut alio inebriante potu obruitur, ut actionibus officij pariter, ac naturæ ineptus evadat. Hanc vocitamus habitum, quo & appetitus animæ, non dissentiente corpore promptè, spontè, crebrò, & cum desiderio ebrietati, ac comotationibus invigilat. Distinguimus verò non eo animo, quasi unam vitiosam, alteram non item censeamus; ut quidam hac abuti solent distinctione: sed ut quamvis utraq; vituperanda, mitius tamen vitium ebrietatem, quæ nonnunquam veniam meretur, ostendamus. Ebrietas namq; alia spontanea est, alia invita. Hæc rursus duplex: dum ex ignorantia vel

vel vio
efficaci
ebrieta
erorum
eum qu
tamen
declara
studios
dolet, n
quam, c
X. I
ut in co
hanc re
liceat sa
plerique
Hoc ut
feriore
rum) ve
non ver
fundere
quam ad
man dat
locus. i. f
officij co
elabendi
cipium ex
tamen co
tio. Qua
jam vie
XI. Ac
qua peri
sponderi
amicitia
nec invi
stus vin
vera, c

vel violentia committitur. Ex ignorantia fit ebrius, cui vis, & efficacia potus non perinde est cognita, ipseque nil minus, quam ebrietatem expectat: ut contigit Noe Gen. 9. vel qualis puerorum saporem non inebriandi virtutem attendentium: aut, cum quis praeter spem omnem, cavens licet ebrietatem, eadem tamen ex improvise obruitur. Talem ebrietatem antecedentia declarant, & consequentia. Illa, dum occasiones ebrietatis studiosè devitat: hæc, quando ebrietas est *ἄβυσσος*, hoc est, dolet, non tam, quia molestias hinc corpori creatas sentit, quam, quòd ebrietatem, in quam inciderat, turpem judicat.

X. *Violentiam* porrò definire, difficile. Eò namque res redijt, ut in communi conversatione quisque ad ebrietatem varijs, & ad hanc rem excogitatis artibus alterum, quantum potest, non pelliceat saltem, sed & adigat. In talem verò adactionem cum plerique consentiant, vix purè violentam invenire liceat. Hoc utamur progressu. Ad ebrietatem cogit aut superior inferiorem, (seu potentior infirmiore, seu magistratus subditum) vel æqualis æqualem. Inferior cogi potest à superiore, at non verè, nec purè, nisi fortè vinculis constricto potum ori infundere voluerit: aliàs coactio est, mixta tamen, & nonnunquam ad violentam propius accedens, quod fit, 1. cum praecedat mandatum: 2. atrociores minæ, ita, ut jam nullus relinquatur locus. 1. fugæ. 2. excusationi valetudinis. 3. deprecationi; nec officij conditionem prætereundam possis; nec omninò ulla pateat elabendi rima diligenter licet quaesita: tunc certè agendi principium externum est, & consequenter ebrietas coacta: quia tamen consensus eidem præbetur aliquis, mixta evadit actio. Quamprimum autem aliqua harum conditionum deficit; jam vicinior est ebrietas spontaneæ actioni, quam violentæ.

XI. *Æqualis æqualem* nullo modo cogit. Etenim amicitiam, quæ periclitari videtur, ubi amico propinanti ex asse non responderis, prætereundam haut perinde licet: quoniam aut vera est amicitia aut simulata. Si vera, nullam inferet violentiam; nec invitum ad incommoda trahet: sin verò talis, quam haustus vini dispellere valeat, ea revera nulla est, ficta potius, quam vera, cujus iactura non usque adeò magni facienda.

Dum

Dum ergo in gratiam amici potu te ingurgitas, spontanea est actio, non invita. Ebrietas δὲ ἀγνοίαν, seu in quam cecidisti ignorans, veniam meretur, nec temperantiam expellit: quæ verò ex ἐκείνω & ἀκείνω mixta, si ἐκείνω exuperet, vituperanda: sin τὸ ἀκείνω maxima sui parte ignoscenda, omni tamen culpâ non vacat.

XII. *Spontaneam ebrietatem* vix est, qui vitium putet. Id tamen aliter se habere, hic probet syllogismus. Quicquid 1. naturæ hominis incommodat. 2. hominem bestiis, ac brutis inferiorem constituit. 3. usum, ac finem divinorum donorum pervertit. 4. aliaq; incommoda post se trahit plurima, id vitiosum esse, vel maximè consequitur. Cujus propositionis non est ut corroboretur sequela; quippe firma, solida. Atqui: Ebrietas 1. naturæ hominis incommodat. Probo. Prægravat namq; eam, ut tantum consumere non valeat, quantum illi suggeritur: quicquid enim superfluum in omne onerosum; juxta medicorum istud: πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ Φύσει 2. Hominem brutis inferiorem reddit. Præcellit homo brutis ratione, seu mente. At: ebrius nihilo minus, quàm ratione utitur; unde fit, ut nihil ipsis præcellat: At, ne quidem ijs par est; siquidem & locomotivâ, & appetitivâ, & sensitivâ uti valent bruta; ebrius non valet. Non locomotivâ: quid enim sibi crebriores hallucinationes, & collapsus, ut nec pes, nec manus officium faciant: Non appetitivâ: præterquam enim quod varij inordinati appetitus venerij, sanguinarij, & similes ex ebrietate nascuntur, quos jam expletus appetitus, contra seipsum haud rarò appetit. Non sensitivâ: sive enim exteriores intuearis sensus, nullum nominaveris, qui non miserè laboret: sive interiores; falsò cuncta judicat, vel saltem plæraque sensus communis: componenda dividit; dividenda componit phantasia: & quid deniq; memoria? vel nihil, vel prorsus mutilum, ac detruncatum asservat. Ita nec facultas rationalis, nec animalis sana; vix aliquid rectè agit multum afflieta vegetalis.

XIII. 3. Usus, ac finem divinorum bonorum & donorum miserè pervertit. Vinum, aliaq; potulenta in conservationem naturæ

naturæ Deus ordinavit; ebrius ad destructionem. Deus utitur, ut homo ijs dominaretur, ebrius, ut ipsemet eorum dominio subjaceret. Deus, ut homo perficeretur, ebrius, ut infirmeretur. Deus, ut homo peragendis negotijs aptus redderetur; ebrius, ut ad omnem actionem maximè fiat ineptus. 4. Multa secum trahit incommoda: quæ, quis enarraret? Nos, ne publicæ experientia injuriam facere, probando, quæ omnium exposita oculis, videtur, nihil hac in parte quicquam attentamus. Conclusionem hanc promptè inferimus: Ergo voluntaria ebrietas est vitiosa. Ex qua ulterius sequitur, eam nulla ratione veniam mereri, & consequenter, nec per ebrietatem commissa mala hinc excusantur, ut graviolem, geminatam scilicet, pœnam mereantur. **XIV. De ebriositate** nolumus laborare multum, quam vitium haud leve, plurimorumque malorum matrem nemo non, nisi, cui fungus pro cerebro, judicat: incommoda, quibus laborat, si commemorare vellemus, brevibus nos expedire haud quaquam possemus: Sufficiat & hic tum quotidiana experientia, tum sapientis istud *Prov. 23. v. 29.* Cui vix? Cui gemitus? cui rixæ? cui querelæ? cui sine causa vulnera? cui rubedo oculorum? nonne his, qui sectantur vinum, & student calicibus epotandis. Interim; nemo videri vult ebriosus: unde ergò de hoc vitio constiterit? *Resp.* Is sine dubio ebriosus qui intemperantia actus sine molestia, sed cum aliqua potius delectatione, multiplicat. Sed tandem linquamus ista.

XV. Voluptatem, quæ circa Venerem versatur, licitam esse, tum naturæ lex, tum divina, tum gentium, quæ in vis usus constantissimus unanimiter simul, ac firmiter comprobat. Plurimum hic tamen inordinationis: idcirco quid temperantia de illa præcipiat breviter cõsideraturi expendemus 1. cui. 2. cū quo, 3. quando. 4. ubi voluptate ista frui liceat, vel non liceat. 1. Matrimonia contrahere quibusdam concessum est, alijs non item. Discrimen faciunt 1. natura. 2. ætas. 3. lex. 4. ordo. *Natura* prohibet ad generandum perpetuò impotentes. Talium namque conjunctio ipsam conjugij substantiam & finem per se, ac proprium impedit; ut pro nunquam contracto, aut certè confirmato, adeoque pro solubili, imò solvendo habeatur.

C

XVI.

XVI. *Ætas* alia est accrescens, alia decrescens, utraq; conjugio minus conveniens. Impubes masculus ne quidem sponsalibus ineundis idoneus est, multò minus contrahendis nuptiis: sic & fœmella. Definit tempus ipsa generandi potentia, quæ masculis 14. fœmellis 12. ætatis anno ordinariè convenire creditur; quamvis singularia exempla aliud interdum doceant, & quod ætati deest, haud rarò suppleat malitia. Decrescenti ætati vix aliquis videtur præscribendus terminus; etsi mari 60. fœminis 50. annus constitutus quondam fuerit; quem cum excessissent nuptias contrahentes, ipsas unà temperantiæ leges excesserant. Cum verò & mares his annis superiores generare, & fœminas parere compertum sit, non usque adeò attenditur exacta ætatis ratio. Sicut ergò in junioribus, sic & in senibus nubendi licentiam generationis terminabit potentia, qua evanescente, simul quoq; connubiorum evanescet licentia.

XVII. *Lex*, quæ duplex; divina, & politica. Divina in hoc etiam negotio *Lev. 18. Deu. 26. v. 20. seq.* & passim alibi certi quid determinat: quamvis strictè jure isto hodieq; non teneamur, cum ad politiam Mosaicam potius, quàm nostram spectarit. Politica rursus duplex: vel juris civilis, hoc est, generalis totius Romani Imperij; vel juris specialis, cujusq; provinciæ, Ducatus, Electoratus &c. propria. Utraq; cui conjugia licita, cui illicita, præscribit: quibus qui non paret, intemperans est. Prohibet naturæ lex sanguine sibi junctos copulari. Huic lex politica succurrit, prohibitionis gradus definiens. Constituit ea consanguinitatis certas quasdam lineas: rectam, & transversam, seu collateralem; quam rursus in æqualem & inæqualem dividit: quæ omnes per generationes, ceu gradus divisæ tam concessos, quàm prohibitos ostendunt. Et quidem recta linea in universum prohibetur, ita, ut si hodieque superesset Adam, non posset uxorem ducere ex universo humano genere: si duceret, intemperans vocitandus esset. Transversa æqualis ad quartum usque gradum exclusivè; at inæqualis in infinitum prohibetur, ubi ratio paterna subest. Ita sui sunt constituti limites in affinitate: in quibus tamen omnibus divinæ legis maximè habenda est ratio, sed hæc, & similia alibi.

XVIII.

XVIII. *Ordo*. Duplex is, civilis, & Ecclesiasticus. Equidem, civilis certas præscribit leges, v. c. ne liber servam, aut princeps plebejam ducat: nam & hîc modum constituit temperantia. Ecclesiasticus, censurâ Papæ matrimonium in totum excludit; quod tamen nec Scriptura 1. *Tim.* 3. v. 2. 12. *Tit.* 1. v. 6. nec natura, nec humana infirmitas ulla ratione patitur.

XIX. II. Cum quo, Definit alteram circumstantiam, partim *thesi preced.* 17. excussam. Considerationem meretur, 1. quòd persona à parentibus, vel qui horum loco, non approbata, matrimonia contrahere honestè non potest. Sic enim 1. ab exemplis, quæ Deus in verbo suo ad imitandum proposuit, totus recedis 2. in domum ducis parentum uxorem invito Domino. 3. species est in obedientiæ liberorum erga parentes. Plura hîc Jureconsulti, & *Lutherus copiosè* in *Buch von Ehesachen* tomo 5. Germ. Jenensi. 2. Jam conjugata. Nec licet tibi conjugato alteram ducere nec conjugatæ alteri marito copulari. Polygamiam siquidem in Novo Testam. sublatam omninò credimus. *Matth.* 19. v. 5.

XX. III. Quando. De tertia circumstantia in primæ consideratione aliquid actû. Postulat verò insuper temperantia, ut ab actibus conjugalibus abstinenceatur cum singularem attentionem precum postulat necessitas: aut alijs negotijs publicis invigilandum; quando cum hominibus conversandum, à quorum consortio te honestè subducere non potes, & quæ similia. IV. Ubi. Neq; hîc multis opus regulis. Non in publico hominum conspectu, quod fecit Absolon 2. *Sam.* 16. v. 22. nec locis inhonestis, aut suspectis, qua ratione quæcunq; aliàs honesta polluantur & commaculantur,

F I N I S.



Ad doctissimum

BENEDICTUM AGRICOLAM,

Disputantem de Fortitudine, & Temperantia.

Ilios hostiles multum est experta furores,
Argolicis fundo dum dirueretur ab imo
Ignibus Humanæ majora movere Voluptas
Bella solet Menti. Dubitas: sic consona vero
Me dixisse probo. Lustris Argiva duobus
Pergama divexare manus: regina Voluptas
Mentem infestabit centum si vixeris annos.
Unus Achivorum classes Agamemno regebat:
Pessima triga ducum, Os, venter, pars ventris & ima,
Castra Voluptatis potiori ex parte tuentur,
Trojugenas opibus Danaï spoliare caducis:
Æternas illud rapit insatiabile monstrum
Divitias cœli, nisi Mens exercita morum
Doctrina illius nōrit vitare sagittas.
Fortunatum igitur, & terq; quaterq; beatum
Te, Benedicte, datum cui tantas noscere tanti
Insidias hostis, ductores, spicula, & arma
Quis ea mature liceat defendere: Constans
Sobrietatis amor: cape, pugna fortiter, hostis
Terga dabit: te laus & præmia digna manebunt.

*M. Georgius Geltner
Creilsheim. Fr.*



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



700



Σὺν Θεῷ
 UTATIONUM
 THICARUM
 VI.
 De
 CITUDINE,
 ET
 MPERANTIA.
 Wittebergensi Academia
 proposita.
 PRÆSIDE
 OLAO HUNNIO
 nsi: Fac. Phil. Adjuncto,
 RESPONDENTE
 ICTO AGRICOLA
 Noribergensi.



VITTEBERGÆ
 ohan. Gormanii, Anno 1611.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

